



**I**oannes Schopperus ex Abenberga Eystetensis Episcopi oppido natus est. Is à pueris operā literis dedit, & primis fundamentis iactis in monasterio Haylbrunnensi ditionis marchionū Brandenburgensium (ubi etiam suam sepulturam habent) Cisterciensium ordinem suscepit. Ibi cum pietate & doctrina reliquos superaret, anno 1529 post Rathenē (qui 1132 primus ibi praeftuit) 27 abbas constituit. Fuit is omnium eruditōrum Mecoenas, quorum etiā monumētis æternū apud posterōs nomē cōsecutus est. Itaq; auxilijs laudatissimi principis Marchionis Brandenburgensis in suo monasterio insignē scholā instituit, et in ea multos adolescētes auit, qui liberaliter instituti, postea ad Academias missi sunt. Sciebat enim in multis prudēs, monasteria nō otiosis (ut Bruschius inquit) uentribus, sed literarū, pietatis & honestæ uitæ studiosis condita, ac tanta principū liberalitat erecta & donata esse. Cum autem Ioannes per 12 annos sapienter praeftuisset, propter afflictam ualetudinē officium resignauit, & Onoltzbachium concessit, ubi etiam 14 calend. Maij anno 1542 obiit, & tale Epitaphium meruit.